



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 40. Joannes Jofridius Atrebatensis Episcopus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](#)

Placuit Atrebatensi Episcopo docile, ne <sup>Sæcul. XV.</sup>  
dicam, imbecille Regis ingenium; quo- <sup>A.C. 1461.</sup>  
circa is Cardinalitium galerum spe sua  
jam devorans, lubenti animo hasce lite-  
ras ad Papam detulit. (\*)

## §. XL.

*Joannes Jofridius Atrebatensis  
Episcopus.*

Ambitiosus ille Episcopus natione Bur-  
gundus erat, Luxovii seu Luxolii hu-  
mili genere natus; sunt tamen, qui eun-  
dem nobilissimis parentibus ortum testan- *Daniel. Hist.*  
tur. Sancti Benedicti institutum in Ab- *Franc. vit.*  
batia Sancti Dionysii in Galliis professus, *Ludovic. XI*  
amplissimis ordinis sui dignitatibus orna-  
batur, ac primo Prioratum Beatæ Ma-  
riæ de castro ad Salinas, dein Insulam  
Abbatialem S. Petri Luxoliensis, ac de-  
mum Sancti Dionysii in Francia Præpo-  
situram obtinuit. Philippus cognomento  
*Bonus*, Dux Burgundiæ eudem Orato-  
rem

(\*) *Futilia hæc sunt, nec animum a partium  
studio alienum, qualis tamen vel maxime in hi-  
storico desideratur, ostendunt. Rex Ludovicus  
peccimus Regum audit, quia Legem Deo & Ec-  
clesiae adversam abrogat, Legatus ambitionis  
postulatur, quod promisso præmio, quæ munera  
sui erant, executus est. Vah? Historici  
integritatem.*

**S**æcul. XV. rem decrevit ad Nicolaum V. Pontificem.  
A.C. 1461. Hunc paulo post reducem idem Dux  
 Atrebatensem Episcopum renuntiari cu-  
 rabat. Fuit Pio II. in paucis carus; tan-  
 tam enim in Viro Prudentiam, dexter-  
 itatemque expertus erat, ut eundem suo-  
 rum consiliorum arbitrum, atque adju-  
 torem haberet; nec seignior erat Episco-  
 pi in Pontificem affectus; ex ejusdem  
 enim gratia ac obsequio fortunæ suæ in-  
 crementa sperabat.

## §. XLI.

*Jofridius cum aliis quinque  
 Cardinalis creatus.*

**N**ec eum spes sua fefellit; quippe Pius  
 Pontifex, cum felicem Legationis,  
 qua apud Ludovicum XI. Galliarum Re-  
 gem fungebatur, successum intelligeret,  
 Mense Decembri ejusdem anni purpuram  
 Jofrido contulit, ac Presbyterum Cardi-  
 nalem SS Sylvestri, & S. Martini ad  
 montes nominavit. Eodem quoque die  
 in Senatum Purpuratorum adlegit Bar-  
 tholomæum Roverellam, patria Ferrari-  
 ensem, Ravennatem Archiepiscopum tit.  
 S. Clementis; Jacobum de Cardona Na-  
 tione Hispanum Episcopum Orgellensem,  
 Ludovicum Albretium Gallum, primo  
 Carducensem, postea Arduensem, de-  
 dum Mirapicensem Antistitem, ac Car-  
 dinalem